



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 203. Et permisit Pilatus. v. 38.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

§. 203. Et permisit Pilatus. v. 38.

Ut tolleretur à Cruce corpus Iesu, tum propter viri præstantiam, nobilitatem, autoritatem in ciuitate & seruitia: tum propter rationes quas afferebat prægnantes ne maneret scilicet tanti viri innocenti, & præclari Prophetæ, tot iam ante prodigiorum authoris corpus in Cruce ad mortem gentilium, & vel putresceret, vel volueribus Cæli in prædam daretur, sed sepeliretur honorifice: tum ne Mater eius præ dolore moreretur, Mater innocens & sancta sanctissimi filij miraculis & prodigijs recentibus admirandi.

Domine Deus, iste Ioseph non fuit Sacerdos nec Leuita veteris legis qui præterierunt semiuuium: sed Samaritanus qui viso vulnerato non præterijt, sed curandum petijt & curauit: ô Iesu mansuetudine tange cor meum virtutis inspirationis ut humano timore reiecto inuictò pectore aggrediar quidquid diuinitus est obsequij. Concede mihi etiam, Domine Iesu, quæ tibi placita sunt diligenter & ardenter concupiscere, prudenter inuestigare, veraciter agnoscere & perfecte adimplere ad laudem & gloriam nominis tui, ordina statum meum, & quod à me requiritur ut faciam, tribue ut si iam, possim & velim, & da exequi, ut oportet, & expediat saluti animæ meæ. Via mihi ad te quæ sit tuta recta & consummata, non deficiens inter prospera & aduersa, ut in illis non extollar & in istis non deprimar ut in prosperis gratias tibi regeram & in aduersis seruem patientiam: de nullo gaudeam vel doleam nisi quod promoueat ad te vel quod abducat à te: nulli placere appetam vel displicere timeam nisi tibi, Omnia cum hoc Iosepho in charitate da facere & quod ad cultum tuum non pertinet quasi mortuum reputare: actiones meas da peragere non ex inuoluntate, sed ad te referre cum deuotione. Vilescant mihi omnia transitoria propter te & chara sint mihi omnia tua & tu Deus meus plusquam omnia: tædeat me gaudij quod est sine te, nec cupiam aliquid, quod est extra te: delectet me omnis labor qui est pro te. & tædiosa sit mihi omnis quies quæ non est in te. opera misericordiæ tam spiritualia quam corporalia da peragere in charitate non ficta, ut te semper laudare & benedicere possim proximo succurrere in omni sua necessitate, tam viuo quam defuncto, ad nominis tui gloriam & ad meam salutem, Amen.